

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

IV. Consideratio & Affectus de Æternitate Dei. Feria IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](#)

bono recurrere valeo. Accedo igitur ad te in hostia sancta absconditum, petoque suppliciter, ut instabilitatem meam stabilias, & mutabilitatem meam, quodammodo immutabilem reddas. O quoties ab Exhomologesi, aut Synaxi sacra, aut animi renovatione, meliora propono; & paulo post in vanitates & intemperantias pristinas relabor. Confirmat me Domine in hac hora, in omni bono; ut nunquam deinceps instar stulti varier, aut velut luna muter; sed sicut sol in conspectu tuo absque ecclipsi constanter resplendam, ut in gratia tua usque ad finem perseverans in perpetuas æternitates te predicem. Amen.

IV. Consideratio & Affectus de  
Æternitate Dei.

F E R I A IV.

I. *Diles mei sicut umbra declinaverunt,  
& ego sicut fænum arni: tu autem  
Domine, in æternum permanes.* Psal. 107.  
Et enim ipse æternitas tua, quæ est interminabilis virtus tota simul & perfecta possessor: quis ad te non anhelet? Tu fons es omnium bonorum inexhaustus, æternum

P 5

fluens.

fluens, & dulcedine tuâ paradisum cœlestem æternum irrigans ; quis te non desideret? Æternitas tua, est dies unus, ortum & occasum ignorans : est unum perpetuum hodie : est æternum nunc , nesciens præteritum & futurum. Ah! quis è tenebris mortalitatis hujus ad te non aspiret! Tu Labyrinthus es omnium perfectiōnum, omnium gratiarum, omnium bonorum, donorum & thesaurorum ; in quo humanum ingenium exitum nullum reperit. O si nosipso in hoc Labyrintho liceret amittere, & exitum non reperire!

II. Anime mi, jam perges ad offerendam hostiam , in qua tota hæc continentur æternitas : conficies & suscipes Sacramentum , in quo residet æterna Sapientia, æterna justitia, misericordia, bonitas, felicitas, quam in cœlo aliquando possidebimus cum æterna satietate, quiete & gaudio: quâ igitur fame & siti, quâ sanctâ impatientiâ ad Bonum hoc æternum anhelare & festinare par esset ? Et nonne ad æternitatem hanc dignè suscipiendam æterna meritò requireretur præparatio ac summa perfectio ? & semihora

rula præparationis longa mihi aut nimia  
videretur? Assistite mihi sancti Angeli!  
opem ferte sancti mei Patroni, ut quod  
non expleo in tempore, fervore & ardo-  
re suppleam.

III. O Beata Æternitas! quanta feli-  
citas est te in Sacramento suscipere &  
bonorum tuorum æternorum partici-  
patione gaudere? In hac cœlesti com-  
munione, me amore cœlestium & æter-  
num succensum, fac, obsecro, hujus vi-  
tae miseras non tantopere diligere; hoc  
exilium non tam ægrè deserere, sed te vi-  
tam interminatam, vitam beatam ferven-  
tius desiderare & amare: fac me clarè cog-  
noscere, assiduè deplorare, studiosè devi-  
tare stultitiam generis humani, quæ mo-  
mentanea oblectamenta, bona, regna, im-  
peria tanti æstimat, eaque æternis, ac nun-  
quam perituris deliciis, bonis, regnis, &  
imperiis cæcè anteponit. O Deus æterne!  
ego tibi de tua æternitate animatus gra-  
tulor: omnia bona tua interna intimè tibi  
saveo, externa pro viribus procurare de-  
sidero; ut ab omnibus ameris & lauderis  
in perpetuum. Denique à quo æternita-

P 6

tem

tem substantialem in refectione spirituali  
accipio; ab eo quoq; vitam æternam spero,  
juxta promissa: *Qui manducat hunc pa-  
nem vivet in æternum.* Joān. 6.

V. Consideratio  $\mathfrak{E}$  affectus de  
Omnipotentia Dei.

F E R I A V.

I. O Mnipotens sempiterne Deus, quem  
admodum natura tua Divina est in-  
finita; ita quoque potentia tua undequaque  
infinita est: quâ potes, præter jam crea-  
alia & alia producere sine fine: alios ca-  
los, alios mundos, Angelos, homines per-  
fectiores, & perfectiores in infinitum:  
*Subest enim tibi, cum volueris posse.* Sip. 12  
Tu potes omnipotentiae tuæ virtute cre-  
ata omnia annihilare, reproducere, trans-  
mutare, elementa confundere, solem si-  
stere, mari & ventis imperare, panem in  
corpus, vinum in sanguinem convertere,  
morbos curare, mortuos suscitare, atque  
hæc omnia potes per teipsum, sine diffi-  
cultate, sine exemplari extraneo, sine ma-  
teria, aut temporis morâ. O Deus! quâm  
mirabilis est potentia tua! demissè eam  
revereor & profundè adoro. Extende,

quælo